In obit.
Iusti Lipsi
Praeceptoris optime de se meriti obitum.

Viderat eversam priscae ad fastigia famae
Fors Romam unius subsidio calami:
Vidit, et invidit; rabidoque accensa furore
Effudit querulo talia verba sono:
Ergo urbem erectam mihi tot saeclisque virisque,
Una manus orbi tam cito restituet?
Ergo urbem eversam mihi tot saeclisque virisque,
Una manus orbi tam cito restituet?
Aetatem ergo ferent melius quam marmora chartae?
Artificem perdam: perdere opus nequeo.
Dixit: et in Lipsi contorsit viscera telum.
Ille cadit; lapsi stant decora alta tamen,
Roma vetus, Regumque animis praecepta regendis,
Et quae in concussum tristia ferre docent.
Dignum illi si grata voles dare Roma sepulchrum,
A tumulo ad vitam te revocata dabis.

II

Quicquid in urbe acti dederunt tibi Roma, Quirini,
Aemilii, Decii, Scipiadae, Fabii:
Quod Curius, quod Fabricius, Brutique dedere,
Reddidit hoc unus Lipsius omne tibi.
Gallia te laesit stantem; sed Belga Camillus
Collapsam in formam restituit veterem.

Thomas Segetus f.

P